


DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis sextâ Martii M. DCC. XXXII.

M. JACOBO FOURNEAU,
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An noxiæ Vulneribus Turundæ?

I.

UT vita Hominis ab Arte & Natura dependet, sic ab utrâque conservatur: Cujusque suæ sunt munia separata vel mixta. Interdùm Natura ex se sola medicatrix, sæpiùs egena, ni juvetur ab Arte. In multis siquidem Natura ei quod nobis emolumento

esse queat contrarium molitur ac perficit, quoniam ipsa solo instinctu regitur; Ars verò rerum ducitur cognitione ac intelligentiâ: Ideoque Medicina plurima præstat supra vires & potestatem Naturæ in morborum curatione, ope Chirurgiæ, plus manu proficientis quàm medicamento.

I I.

EST autem Chirurgia antiquissima Medicinæ ministra, atque consistit in duobus, instauratione & detractione. Ad instaurationem pertinet deligatio, spleniorum & fulcimentorum usus, sutura & fibularum impositio. Ad detractionem refertur tractio, propulsio, avulsio, divulsio, solutio etiam continui quæ fit in parte durâ, vel molli, vel utrâque. In molli sectio, punctio; in durâ serratio, limatio, rasio & perforatio; in utrâque ustio & exscisio. Hujus Chirurgiæ apprimè peritum decet esse Medicum, operationem ministris relinquere, qui magisterio Medici dirigantur. Chirurgus verò sit juvenis, Castra sequatur & Nosocomia frequentet, ut Vulnerum discrimina cognoscat.

I I I.

QUAMVIS enim Vulnerum curandorum indicationes sint consimiles, unionis solutionem resarcire, sublatâ inflammatione per venæ sectionem & refrigerantia, saniei detersione & Carnis reparatione per exsiccantia & detergentia. Attamen pro variâ partis naturâ, & rei lædentis qualitate aliter tractantur Vulnera. Si Capiti Vulnus inflictum,

etiam leve non negligendum, cui medetur ſanguinis detractio, liberalior ſi fuerit os læſum, quod Trepano exſcindetur. Pectoris Vulnera penetrantia, etiam perfoſſis Pulmonibus, non ſemper lethalia, uberiore & repetitâ ſanguinis detractione ſanantur: Proinde in magnis Vulneribus corpus ineđiâ macerabis & exangue reddes. Ratione rei lædentis, ſive contundentis, ſive venenatæ aliter percurantur Vulnera, qualia ſunt à ſclopetis. Sed omnia raro ſolvenda atque medicanda, & niſi profundè ſinuoſa ſint aut complicata, non adhibeantur Turundæ.

IV.

EX multiplici Lineamentorum genere quod in tractandis Vulneribus uſurpatur, aliud eſt externum, quod Plumaceolus vulgò dicitur, aliud internum, Turunda dictum. De poſtremo tantùm inquiritur, cujus apud veteres plurimæ ſunt differentiæ, quibus indita ſunt nomina à formis & figuris quibus effinguntur, vel à materiâ ex quâ conflantur, cujus modi ſunt Linteum, Ellychnium, aut Suber, Spongia, radix Gentianæ, Argentum, Plumbum, Stannum, ex quibus efformantur canaliculi, ad implendas Turundarum vices.

V.

INDUNTUR Vulneribus Turundæ ut aperiant & dilatent ad egreſſum puris, vel alieni corporis extractionem. Sed quantùm officiunt curationi vulnerum indè liquet, quòd vulnera, ſi recentia, ſunt dolorifica, ideòque non irritanda metu fluxionis Turundarum intruſione, quas Natura Vulnerum medicatrix nititur ſemper excutere; ſi

vetuſta, non egent Turundis, quæ coalitum impediunt conſervantque ulcera. Deinde Puris continuum effluvium ſiſtunt, cujus morâ & putredine magis effodiuntur & excavantur ulcera, atque ferina fiunt.

Ergo noxiæ ſunt Vulneribus Turundæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius Caſamajor.

M. Raymundus de la Riviere.

M. Franciſcus-Joſephus Hunauld, Regiæ Scientiarum Academiæ, & in horto Regio Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſor.

M. Petrus-Ludovicus Le Hoc, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus caſtelleto.

M. Antonius-Nicolaus Guenault.

M. Antonius-Petrus Lepy.

M. Joannes-Baptiſta Mongin, Chirurgiæ Gallicæ Profeſſor, & Medicus Regis ordinarius.

M. Joannes-Claudius-Adrianus Helvetius, Regi à ſanctioribus Conſiliis, Medicus Regis perpetuo ordinarius, & Reginæ Primarius, Regiæ Scientiarum Academiæ.

M. Claudius du Cerf, Rei Herbariæ Profeſſor.

Proponebat Pariſiis OTTO-CASIMIRUS BARFEKNECHT, Coeſlino-Pomeranus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1732. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1732.